



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. XXXXV. P. Pauli in Deum amor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](#)

§. XXXV.

P. Pauli in DEUM Amor.

VT autem nunc cetera omnia omittam, quæ de gestis
hujus insignis Servi DEI adjungere possem, conge-
ram hic tantum aliqua de præclaris ejus virtutibus,
quas hucusque non attigi. Offert se mihi ante alias omnes,
tanquam ceterarum Regina, ardens in DEUM Caritas.
Virtutis hujus pretium optimè noverat P. Paulus, & in una
aliqua earum schedarum, quarum alias meminimus, non
minus tenero animi sensu, quam ingenij perspicaciâ, ita
scripsit. *Duplex est ratio per purgandi aliquod solum iam planè
silvescens, & recipienda sementi ineptum: una est, arrepta
securi singulos arborum trunco excindere. Altera est, ignem
admoveare: atque haec secundaria ratio non solum sine comparatione
minore labore constat, sed est etiam magis fructuosa; cum solum
sic adustum multo fiat fertilius, juxta illud Poëta: Sæpe etiam
steriles incendere profuit agros. Non dispari ratione res Ani-
mæ nostræ se habent. Progredi possumus à virtute una ad al-
teram, singula extirpando vitia. Sed hic & longi temporis, &
multæ difficultatis labor est, & fructus minoris: brevior ac
fructuosior est: ut in animo succendatur luculentus divini amo-
ris signis: hic enim momento efficit, quod tam longo & arduo
conatu esset perficiendum: & præterea animum non expurgat
modo, sed mirè etiam facundum reddit. Sensi proin in me de-
siderium ingens, ut DEUS mittat ignem istum de celo in cor-
meum; cum nesciam quomodo hic eundem accendere possim.
Alias inter sua, quibus orando illustrabatur, lumina DEUM
ardore verè Seraphico obsecrat, ut sui amorem largiti di-
gnetur; aitque. *Offendi te, mi DEUS, verum est; con-**

M 2

tempf

temp̄ te, & tanto tempore rationem tui nullam habui; re-
cessi à te; vindica quāso has injurias: en cor meum, vulnera
illud, & plagis omni ex parte concide; sed vulnera sagittis di-
vini amoris tui, sic ut vel ingratissimis velit tibi omne bonum,
quod tibi debetur. Aliter, mi Amor, vindictam sumere de-
me non potes; nec enim nunc judicij, sed miserationis tempus
est. Et paulò post. Tu es totus amabilis, totus dulcis, totus
suavis: & ego te tamen ita tractavi, ac si crudelior homo te in
mundo non esset. Veni igitur, & vindica injuriam: fac ut
cor meum amore gravissimè saucium sibi ipse irascatur, & ne-
cessē habeat fateri, exclamando tam ardoris, quām dulcedinis
vi; se nimium quantum aberravisse.

§. XXXXVI.

Quām purus hicejus amor?

DEUM amare, DEO sincerè servire, erat id omne,
quod ipse aestimabat, & quærebat: & hoc ipse de-
claravit in una ad aliquem è Nostris epistola. Pater
mi care, inquit, profecto non est quidquam aliud, quām ser-
vire DEO, ardere sancto ejus amore, & facere sanctissimam
ejus voluntatem in omnire, aequali cum voluptate: quidquid
aliud est, mendacium est. Nil illi perinde displicebat, quām
quod videretur sibi non amare DEUM, nec facere ejus
causā tantum, quantum se debere existimabat. Idcirco
dum intimo cuidam suo scribit: Fateor tibi, ait, ingenuè,
hoc solum acerbum & amarum mihi est, quod hucusque non po-
tuerim DEO exhibere minimum indicium veri amoris: neque
enim scio, amēmne illum propter id quod est, an propter id quod
nobis donat. Et tamen constat nobis, Amorem P. Segneri
tam